

Acad. prior. II. 16. Primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur: quod genus minime in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim, et gradatim additur, aut demitur. Soritas hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane, et captiosum genus. Sic enim adscenditis: si tale visum objectum est a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde veri simile? cur deinde non, ut difficulter a vero internoscatur? deinde ut ne internoscatur quidem? postremo ut nihil inter hoc et illud intersit? Huc si perveneris, me tibi primum quidque concedente; meum vitium fuerit: sin ipse tua sponte processeris; tuum. Quis enim tibi dederit, aut omnia deum posse, aut ita facturum esse, si possit? Quomodo autem sumis, ut, si quid cui simile esse possit, sequatur, ut etiam internosci difficiliter possit? deinde ut ne internosci quidem? postremo, ut eadem sit? uti, si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum. Et quidem honestis similia sunt quaedam non honesta, et bonis non bona, et artificiosis minime artificiosa. Quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter haec interesse? ne repugnantia quidem videmus?—nihil est enim, quod de suo genere in aliud genus transferri possit.

Acad. prior. II. 24.. Sunt contorta et aculeata quaedam σοφίσματα. Sic enim appellantur fallaces conclusiunculae.

Div. I. 38. Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quae futura sunt: aut non diligunt homines; aut quid eventurum sit, ignorant; aut existimant, nihil interesse hominum, scire, quid sit futurum; aut non censent, esse suae majestatis, praesignificare hominibus, quae sunt futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici, neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt: neque nostra nihil interest, scire ea, quae eventura sunt; erimus enim cautiores si sciemus: neque hoc alienum